

DE OBITV RE,

VERENDI ET DOCTISSIMI

VIRI, Dn. MATTHIAE POSTHV-
mij Thaboreni Decani & Pastoris Ecclesiæ
Dei apud Mezericenses ad Oslavvam in
Moravia fidelissimi.

AD PRVDENTISSIMVM

eiusdem oppidi Senatum, Dominum
Primates, Iacobum Sophrona Gutte-
bergenum, Dn. Andream Fabricium,
Notarium, Dn. Lazarum, & Dn. Pau-
lum Gelenium, cæterosq; viros con-
sulares, rei literariæ fautores
eximios, Epicedion

Scriptum à

MATTHIA BORBONIO,
ibidem in illustri Schola do-
centium Collega.

Expiravit placidissimè in amicorum man-
ibus 16. Augusti, anno supra millesimum,
quingentesimo nonagesimo primo.

Pragæ, Excudebat Ioannes Schaiman.

M. D. cI5 cI.



Iustus quis videt hoc? solvit sua lumina letho,
Quis videt, & mortis vult meminisse suæ?
Iustus abit, veterumq; petit conclavia patrum.
Quis secum reputat talia? iustus abit.
O cæcas hominum mentes, ô pectora bruta
Iamné aliquod tempus quo sapiatis erit?
Cur fato iustus ponit commertia vitæ?
Mortua cur iusti contegit ossa solum?
Ne mala venturis videat mala summa diebus,
Nec mundi spectet tristè ruentis opus.
Hæc sacer Amosides divino percitus æstu
Vatidica quondam voce propheta tulit.
Nonne ita, rem totam mecum perpende Senatus,
Præco DEI verbi, præcôq; noster abit?
Sic abit ille DEI ne cernat tristitia mundi
Fata, pius præco: sic, nec opimus, abit.
Fluctibus in medijs navim Palinure relinquis,
MATTHIA, noster tu Palinurus eras.
Mors tua grata tibi, nobis ingrata, gemitq;
Sedulus auditor funera quisq; tuus.
Nec levis est fletus, nec causa indigna doloris,
Vnius hic non sunt damna gemenda pili.
Tristitia nostrorum deflemus fata parentum.
Imbre per indignas usq; cadente genas.
Hoc rude quod gravidâ gestantes pondus in alvo
Cernere Phœbæum nos voluere iubar.

Tegmine



1997 KK 69
AKC. 16/49

Tegmine quod nobis vili, visuq; parando,
Plurima per varias sustinuere vices.
Cur gravis interpret Legis, verbiq; Minister
Indeploratus busta quietâ petat?
Quippe pijs animum monitis instruxit, & alta
Ignoram multis pandit ad astra viam.
Præbuit ægotæ dulcissima pabula menti,
Pabula salvifico rore rigata DEI.
Quæ tantò superant alimenta foventia corpus,
Quantò mens precium corpore majus habet.
Sic ne igitur fatum fit inexorabile? sic ne
Omnia sub leges mors vocat atra suas?
Nil nostræ valuere preces: nil succus & herba:
Nil medici prudens continuulq; labor.
Quod DEVS instituit, mutandi est nulla potestas:
Regnat: & in populum jus habet ille suum.
Quàm citò grata tuæ cessit facundia linguæ
Posthume, laudandus quàm citò vocis honos!
Sic vita est hominum: morbis curilq; redundat,
Incinerem tandem putrida facta, redit.
Dira lues scelerum, qua nos vibice flagellas!
O quid te nobis durius esse potest?
Propter te premimur, propter te pessima vitæ
Tempora perpessi morbida massa sumus,
O vtinam tunc cum primas in luminis auras
Te serpens blando perfidus ore tulit,

A 2

Nunquam

Nunquam pomifero paradisi visus in horto
 Tecum tartareis obrutus esset aquis.
 Non ò non miseris incumberet ista malorum
 Quæ nostris vicijs crescit adaucta, seges,
 Nec mors lethiferis nos contra armata sagittis,
 In nostro hoc unquam figeret orbe pedem.
 Donec in hac fuerat MATTHIAS valle superstes,
 Fecerat officij munia iussa sui.
 Septima præterijt revolutis mensibus ætas,
 Ut primùm Osliacos advena vidit agros.
 Ut primùm hanc amnes inter collesq; Sareptam
 Non renuente DEI sorte, vocatus adit.
 Qua fieri potuit cura, intentoq; labore,
 Instituit verbo credula corda DEI.
 Quod Numen triplex sit in vno laudis honore,
 Nempe: Pater, Natus, vivificusq; calor.
 Gnatus & humanam sumens de virgine massam,
 Crimina sustulerit sanguine nostra suo.
 Quodq; Redemptoris larga indulgentia CHRISTI
 Iustitiæ nobis munera sancta ferat.
 Nil veritus quenquam damnata coërcuit aula,
 Ad nullum assuetus turpe tacere scelus.
 Sacramenta DEI sic est partitus in omnes,
 Charta ut divinæ concilia vocis habet.
 Votaq; pro stabili Procerum, populiq; salute
 Fecit, & irato sustulit arma DEO.

Illius

Illius in manibus VValdsteinius inclytus HEROS
 HENRICVS, summum clausit in orbe diem.
 Quem simul in tumuli gemebunda claudimus urna,
 Continuo PIETAS luget & alma FIDES.
 Nec possunt animo fixos evellere fletus,
 Nî DEVS HENRICOS suppeditare velit.
 Da DEVS HENRICOS tua gloria sancta vigeat,
 Nomen, nî dederis hac abire urbe tuum.
 Posthumus ille idem vicina per oppida CHRISTI
 Non flaccescenti gramine pavit, oves.
 Illi Praga triurbs non duras præbuit aures,
 Passaq; se CHRISTI est voce docente regi.
 Audiit adjunctis illum pius incola vicis,
 Vrbs quæ colle suo prospicit alta Thabor.
 Iam verò elinguis jacet, & sine voce, cadaver,
 Pulpita quæ fuerant antè diserta, silent.
 O quam deflemus tua, Posthume, fata dolenter,
 Aggemit his nostris tristior aura malis.
 Iam tua vita animum, pietas, studiumq; docendi,
 Et quicquid magnum laudis honore, subit:
 Collige cum vultu mentem, reparabile damnum est:
 Quid fles? jam fletus contrahe vela tui.
 Non homo sed lapis est, qui non percussus amici
 Casibus, in vultu pignora mentis habet.
 Stoicus est caudex, cui non sors aspera tristes
 Excutiat lacrymas cum lacrymisq; preces.

A 3

Scd


Sed servare modum juvit : servandus ubiq;
 Est modus : & nocuit transilisse modum.
 Nec, tua si maceres æternum pectora, prodest,
 Non sunt arbitrio subdita facta tuo.
 Quam non est cuiquam nec erat mutare, voluntas,
 Qui fovet & curat nos, fuit illa DEI.
 Omnia liber agit, nostræ nihil indigus artis,
 Vis inimica illum nulla tenere potest.
 Cum voluit, longos numeramus gnaviter annos,
 Cum voluit, paucos dat superesse dies.
 Prorogat, atq; idem præcidit stamina vitæ,
 In nos jus figuli vasa terentis habet.
 Dum finit ille, crepat nova testa, suumq; decorem
 Ponit, & argillæ pars fit ut antè suæ
 Sic nostro dum vult animam de corpore solvit
 Qui nos mirandâ finxerat arte DEVS.
 Vita bonum fragile est, & paucos durat in annos
 Vivimus & morimur, talis in orbe rota est.
 Non obeunt, abeunt, migrantes vallibus istis,
 Qui credunt verbis CHRISTE benigne tuis.
 Nec pereunt, præeunt, cælestia gaudia carpunt,
 Aspiciuntq; oculo candidiore DEVM.
 Sic is atq; præis, tua nos citò facta sequemur
 Posthume : cum CHRISTO gaudia lætus æge
 Et quanquam dulces auras, & amata relinquis
 Lumina, sub gelidâ contumulatus humo :

Fama

Fama tamen superest latum benè sparsa per orbem,
 Posthume qui fueris posthuma fama canet.
 Salve sancte cinis, cœlestibus addite divis,
 Æternum salve, perpetuumq; Vale.
 At tu tam tristem repara pie CHRISTE ruinam,
 Et serva coctus agmina fida tui.
 Tu potes immisso miseros confundere luctu,
 Et potes afflictis addere rebus opem.
 A te pendemus, nostrum ô pie Christe levamen.
 Hac stet in auspicijs spes rata nostra tuis.

EPITAPHIUM IN E. V. N. D. E. M.

POSTHUMVS hic situs est æternæ præco salutis,
 Hei mihi quòd nullas mors timet atra manus:
 Fertile pectus abis, & plenum Numinis haustu,
 Ingenium præstans, & sine labe fides.
 Plures dignus eras annos numerare superstes,
 Nobiscumq; soli commoditate frui.
 Quippe propagasti veræ documenta salutis,
 Planior ad cœlum te duce callis erat.
 Multa rudes animi te cognovère docente,
 Multa rudis populus, quæ meminisse juvat.
 Iamque licet gelida recubes defunctus in vrna,
 Hæret adhuc nostro nomen in ore tuum.
 Salve care pater : melioribus utere fatis :
 Vive DEO æternum : rursus ave atque vale.
 Nulla quies vivis : magnorum nulla laborum
 Meta : probè inspicias, nil nisi triste vides.
 CHRISTE, dic venias, media, seu nocte silenti
 Adventus nobis læta sit hora tui.




1446

IN DIVINITATE
M. C. 1446



AV 25/56
Univ. Ranc. As.
Kraśnik 25.08.1955
1209









40
10





